

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXIIX

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Matri tuæ dices ex me plurimum salutis, & Dn. Patri, de quo mihi audeo ingenuè & liberè quidvis honestorum officiorum polliceri, si ejus consilio & opera accideret me opus habere. De meis studiis nihil attinet scribere, spero futurum, ut consumpti temporis reddatur aliquando ratio: sed typographiæ usus nunc est difficilis, ego tamen à labore non desisto: in quo nunc totum consumo quinquennium successivis horis. Pestis Basileæ clementer agit adhuc, parcit videlicet Academiæ & Ecclesiarum proceribus, & studiosis. Nullus enim adhuc obiit Professor, Minister, aut studiosus. Nullus etiam magni nominis Civis in utroque sexu. Ancillæ, famuli, artifices, & infantes ultra 700. dicuntur mortui. Jesuitarum secta dicitur nidificare velle Ensisheimi Civitate, non procul à Basileâ, ad 5. milliaria: idque permisso aë jussu Ferdinandi, Archiducis Austriæ, qui rerum in ea potitur. Erunt, si Diis placeat, grati nobis vicini. Cætera apud nos salva sunt omnia: *GOETZES wolle uns durch Christum also erhalten.* Mea familia egregiè augetur: sunt mihi tres filii: & quatuor filiæ, & uno: gestat uterum. Mea Maria Solome Dn. Confratrem, & fidei justorem pro se, amanter jussit salutare & salvere. Mitto strenæ loco Basileæ descriptionem, nuper editam: & mitto duo exemplaria, alterum pro te, alterum pro Dn. D. Pappo. Plura non occurrunt, quæ addam: & completa est jam papyrus. Salutabis meo nomine Dn. D. Sebal dum Hauenreuterum, amicum veterem, & Dn. Theophilum Golium, præceptorem. Dn. Flinnerum, senem verè pium & humanum. Sed scribam Caspari Zickelio, Populari meo, & cætera ei officia, meo nomine expedienda, commendabo. Bincemæ ad Canderam, 12. Calend. Februarii, anno redditæ salutis, 1577.

*Tuus ex animo, ut sum,*

**Paulus Cherlerus Elsterb.**

Minister Verbi divini apud Pincemienfes.



LXXXIIX.

S. P.

**N**arro tibi, reverende mi D. Grinere, me ita recenti molestia urgeri, ita magnitudine doloris, quem ex morte Ulrici Marbachii incredibilem ceperam, animum meum æstuare, ut neque manus ad scribendum, neque mens ad cogitandum, rectè ullo pacto consistere possit. Angebar, mi optime  
Yyyyy 3  
Gri-

Grinere, ereptum nobis eum theologum esse, in quo pietatem & religionem minimè fucatam recognoveram: & eo tempore ereptum, quo Ecclesia Christiana maximè laborat, ex talium virorum inopia. Deplorabam non meam tantum solitudinem, ut qui necessario homine orbatum sum: sed civium etiam nostrorum calamitatem. Veniebat in mentem, quam multos vir ille, si diutius in vita mansisset, doctrina, eloquentia, & exemplo suo, ad nostræ sententiæ & religionis in vicinia nostra labentis & inclinatæ ruinas fulciendas, alligere potuisset: Extinctum integerrima ætate, febri venenatissima, quæ passim apud nos grassatur, vix dum benè jactis fundamentis ædificii, quod planè divinum in animis civium nostrorum excitare cogitabat. Quid multa? Valde sub ipsius obitum sum perturbatus. Amavi enim illum ardentissimè: colui diligentissimè. Ille contra parem in amicitia voluntatem reddebat: ut certum reb. adversis profugium atque solatium apud eum haberem. Utinam valerudinis rationem majorem duxisset: Utinam ab illo studiorum & animi contentione, à qua sæpissimè eum revocavi, aliquid remisisset, nos forsitan diutius eo doctore usi essemus. Ac quanquam mihi difficile non fuit, colligere eum diuturnum non fore, tamen nos nostra ingratitude promereri, ut tam excellentes concionatores, tam brevi tempore à DEO à nobis ad celestem Ecclesiam avocentur. Amisimus enim intervallo non longo viros, eloquentia, doctrina & pietate præstantissimos quinque, qui etsi magnis donis ornati fuerunt, tamen in Marbachio nostro omnia ita cumulata fuerunt, ut præter robur corporis in eo nihil esset desiderandum. Cum eo quidem præclare est actum. Magno enim animo & forti, & Christiano diem suum obiit, ita ut, qui eum consolari volebamus, ipse nos consolaretur potius, ac hortaretur, ut cum intrepido animo mortem aspiceret, tantum oraremus, ut suam in ipsum tyrannidem exerceret cito, quo vita sempiterna frui posset celerius. De morbo ad D. D. Marbachium, cum me rogaret frater, scripsi. De obitu, qui 14. Junii accidit, nuncium illi afferre nolo. Tu, si tibi videbitur, commodissime illi indicabis, & quid scripserim, significabis. Heri ab illo accepi literas, 7. Id. Junii scriptas, in quibus sperat fratrem adhuc vivere. Ante morbum sæpe magno desiderio ipsum expectavit. Utinam convenissent.

Cum primum decumberet, quasi mortem præfagiret, de successore admodum fuit sollicitus. Commendavit mihi Hermannum Wackerum, semel à me visum. Eum idoneum successorem fore existimans, rogavit diligenter, ut cum indicio aliquo singularis benevolentia, ita causam ejus agerem, ut à nostris vocaretur. Cum autem sit difficile commendare ignotum, valde te rogo, ut hominem, quem tibi notum esse puto, mihi sincerè describas. In Marbachii judicio, quo omnia illi summa tribuit, acquiesco. Velim tamen aliorum etiam testimonium habere, quo majori pondere commendatio mea niteretur.

Supere-

Superiorem Marbachio non quærimus: parem si nanciscemur, divinæ erga nos benignitati id acceptum feremus. Georgius Khunius, cui moriens uxorem & liberos 4. diligentissimè commendavit, patris, soceri, & tutoris animam erga eos induit. Vivum filii loco habuit, ipsius superstites non minori cura tuebitur, atque defendet. Et fratrem Erasmus D. suum etiam facturum officium spero.

De filio meo, scribere jam nihil possum. Valetudine fuit aliquandiu tenui. Gratias tibi tamen habeo, quod amicè tuum nobis animum patefacis. Officium istud tuum suo tempore non aspernabor. Unicus est: Ideoque apud notos eum collocare velim. Davidis vidua tua intercessione aliquod à focru <sup>perpetuo</sup> per nos impetrabit, interea eam meo nomine salutabis. Conradus propediem ad eam scribet. Thermas tibi benè evenire volo. Ad nos enim te profectum esse, D. Marbach. ad me perscripserat. Benè vale, cum omnibus tuis, carissimè me Grinere. Wormaciæ ipso Johan, Baptistæ. Rogo, ut respondeas. A. 88.

*Tuus ex animo*

F. Zornius.

*Inscriptio.*

*Reverendo viro, pietate & doctrina Præstanti, Domino  
M. Henrico Grinero, Pastori Ecclesiæ Guilielmitana  
Argentorati, Domino & amico ut veterrimo, ita  
maximè colendo.*



TABU-

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.